



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Tractatus IX. De Promissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

TRACTATUS IX.

DE

PROMISSIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Promissio?

DE ea loquimur, quando est liberalis, gratuita, si enim est onerosa, id est, sub aliquo onere præstando à Promissario, jam proprie pertinet ad contractus, sive nominatos, sive innominatos, emptionem, venditionem, locationem, &c. de quibus suo dignum est loco.

2. De eadem item loquimur, ut est promissio, non verò, ut metum propositum, quod pollicitationem etiam nonnulli appellant. Propositum enim, sive consistit in actu solius intellectus, sive solius voluntatis, sive utriusque, sive etiam in vocibus externis, quibus voluntas interna significatur, de quibus Doctores passim, ut Turrecr. d. 64. de Inst. dub. 19. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. de Vot. cap. 2. 3. & 13. Et in opus. 4. de libert. Divin. d. 2. sessione 2. à num. 18. Vazquez tom. 4. in 3. part. d. 6. de matrimon. cap. 2. Delugo d. 23. de Inst. num. 2. Propositum, inquam, dicit intentionem aliquid faciendi, seu dandi, at promissio superaddit aliquid aliud, per quod is, cui res promittitur, (quem vocare solemus promissarium,) merito habet fundamentum expectandi rem illam promissam sibi in ipsius utilitatem, seu obsequium à promittente.

Quid autem sit hoc superadditum, varii variè explicant, quod, quia ad speculationem pertinet, videatur apud citatos.

3. Sic autem describitur Promissio liberalis, seu gratuita, de qua præsens est disputatio: *Est affirmatio, & enuntiatio (utique deliberata, & spontanea) alicujus rei possibilis, & licita in futurum faciende ab aliquo insinuata, & absolute data alteri, & accepta ab eo, in cuius utilitatem, seu obsequium facienda res est.*

4. Hæc descriptio affertur à Vasq. loc. cit. sed addita à nobis una voce. Ipse enim dicit (alteri insinuata) nos verò addimus (& alteri data) cujus additionis ratio est, quia posset insinuari, seu ostendi propositum alicui, nec tamen inde ullam promissionis obligationem nasci. Ut, si tibi ostendam, me velle cras tuum comitem fore in via, & nihil addam prætere, quo id me facturum promittam, tunc enim solum ostendo, me esse in ea voluntate, non propterea significo promissionem ullam tibi à me dari, ex vi cujus tu meum comitatum cras expectes, sed si expectes, expectabis ex vi meæ constantiæ, quæ non solemus mea proposita mutare, non verò ex vi promissionis. Et sanè sic videtur se gessisse Sanctus Petrus, ut notat Delugo loc. cit. à numero 7. quando enuntiavit: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Hec enim sic aliquid Christo Domino promissit, seu vovit, sed solum ostendit præsentem voluntatem suam: sic etiam, qui Deo dicit, se nolle amplius peccare non promittit, sed solum suam præsentem voluntatem ostendit. Dicimus igitur, promissionem esse enuntiationem, & ostensionem voluntatis alteri, & insinuatam, & datam, nam sic non solum explicatur ostensio voluntatis, sed etiam explicatur fides, quæ datur promissario.

5. Ut autem tota de promissione tractatio ordinatim absolvatur, notentur singula prædictæ descriptionis verba, & in modum sequentem explicentur.

Adverte autem, quia liberalis Donatio in futurum apte rei traditionem nihil aliud verè est, nisi promissio

donandi. Ideo non pauca ex dicendis hic competere etiam ejusmodi Donationi in futurum: nam, carcerum de liberali Donatione de præfenti suis mox erit agendi locus in particulari tractatione de Donatione.

CAPUT II.

De illis verbis:

Est Affirmatio, & Enuntiatio.

1. Promissio non dicit solum affirmationem, hoc est, actum, quo homo affirmet se aliquid futurum, hoc est, metum propositum ore declaratum, ut jam modò dictum est, sed addere debet enuntiationem, id est, aliter, quia scilicet idem propositum promissum intimetur, & proprie enim enuntiare est alteri rem aliquid huntiare. Actus igitur internus, etiam quo quis vult promittere, non est promissio, qui, ut sic, præter est inchoatio quædam promissionis, quam promissio Unde ejusmodi tuum internum propositum non obligabit te ad rem sic initiativè promissam adimplendam, non obligabit, inquam, ut promissio, quia verè promissio non est, & in docet Sanchez, l. 1. matrim. d. 2. et aliis principiis Delugo, d. 23. de Inst. sess. 2. quibus addit Baunium, tom. 3. Theol. moral. l. 2. tract. 4. quæst. 4. quæ quid in oppositum inclinet Molina, d. 266. Dicitur par. tract. 6. res. 107. alique, qui propendunt ad dicendum, validam esse ejusmodi promissionem ex jure nature, quamvis possit ex jure positivo revocari à promittente, quandoque is voluerit.

2. Dixi (ut promissio) nam, an tunc adit aliqua obligatio, ne homo videatur levis corde, & inconstans, debendo propositum prudenter conceptum lib. 3. in dec. cap. 11. num. explicuimus.

Promissio externa sine animo promittendi.

3. Quod si, contra, sit externa enuntiatio, sit promissio solum externè prolata, alterique sub fidelium ore tenus intimata, sed sine animo, & voluntate promittendi, eritne vera promissio, & quidem obligatoria promissio?

4. Respondeo, me lib. 3. in dec. cap. 12. §. 1. non docuisse, non esse veram promissionem, & consequenter non afferre obligationem veræ promissionis. Ratio principalior fuit, quia non est verus contractus sine animo contrahendi, ergo neque vera promissio sine animo promittendi. Solum monui, quamvis tunc non affertur obligatio aliqua ex vi veræ promissionis, tamen sæpè affertur ob damnum, quod fortè sequitur promissio ob deceptionem, &c.

5. Sed quid? Ejusmodi sola exterior promissio pertinet obligationem aliquam exequendi rem promissam, si non ex vi veræ promissionis, & proprie, tamen ex vi promissionis improprie?

Respondeo: Certum est, quando dicitur externè, *Hæc faciam cras*, te debere sentire, sicut pronuntias, fecis committis mendacium contra virtutem veracitatis. Verum, si non pertinet ad promissionem, hæc enim respicit rem in futurum faciendam, sed ad conformitatem orationis cum mente, quæ tota potest adesse præfenti, etiam si deinde rem ita enuntiam non exequaris. Dum enim affirmas: *Ego cras hoc præstabo*, ut verum affirmes, satis est, si ex modo dictum sit conforme tue menti, intendenti id exequi cras, quamvis cras deinde, mutato animo, non exequaris, neque enim ad virtutem veracitatis pertinet, ut animus non mutetur; hoc enim pertinet ad constantiam, sed solum, ut ita loquaris, sicuti in mente habes.

6. Difficultas igitur potest esse, si consideremus eandem prædictam virtutem Fidelitatis, quæ certe respicit futurum

CAPVT III.

De illis verbis :

Vtique libera.

& ad quam pertinet observare veram promissionem; inquirere enim possumus : An, sicuti certò ad Fidelitatem pertinet, observare veram promissionem vero animo factam, sic etiam ad Fidelitatem pertineat, observare hanc fictam, solumque externam promissionem ? Si, v.g. promittam sine ullo animo provitendi equum tibi cras donaturum, obligabitne me Fidelitas ad promissionem hanc fictam adimplendam ?

7. Respondeo, ex dictis n. 4. videtur negandum, quia, ubi nulla promissio est, ut hic, nulla erit obligatio. Verum, nos ibi signatè diximus, nullam adesse obligationem ex vi veræ promissionis, sed nunc difficultas est, an nihilominus adsit obligatio ex vi externæ, quamvis non veræ promissionis, obligationem, inquam, quam inducat eadem virtus fidelitatis.

8. Dico, Fidelitatis virtutem obligare (sub mortali, ne, an veniali, dicam *infra*, c. 7. §. 3.) sic fictè promittentem ad dictam promissionem observandam. Ita Delugo d. 23. de *Iust. n. 11*. citans Pont. & Turrian. cum aliis. Ratio est, quia hanc promissionem solum externam respiciat, & regere debet Fidelitas. Ad fidelitatem enim spectat, non solum ordinare hominem in veris, perfectis, & que promissionibus, quæ constanter ex externo, & interno actu, verum etiam, quæ solum continent externum.

Quemadmodum enim veracitas inclinat ad confirmandam externa verba cum animo interno, sic fidelitas, quæ est valde affinis veracitati, tendit ad confirmandas promissiones, etiam solum externas, cum executione in futurum ponenda, siquidem ad fidelitatem pertinet, veritate, ne decipiatur proximus in recipiendis promissionibus; hic deciperetur, etiam, quando promissio est solum facta exterius. Ne decipiatur, inquam, non ex vero iure, quod sit in ipso promissario; tunc enim esset obligatio ex vera promissione (sed ex obligatione, seu debito, quod habet promittens, ne in suis dictis abroget sibi fidem illam non servando, & ne sic impediatur commercia humana, decipiendi proximum, quod totum videtur à virtute fidelitatis esse regendum.

9. Obiicies : Ergo eodem modo, si quis se obligaret, solum verbis externis, ad faciendum aliquid, vel, solum verbis externis, voveret aliquid Deo, obligaretur ex vi Iustitiæ, vel ex Religione illa observare; quod tamen, l. 3. in *decal. c. 12. §. 1. n. 3*, agendo de Voto, negavimus, quia sine vero animo se obligandi, seu vovendi, nulla est obligatio, nullum votum.

Respondeo, negando hanc consequentiam, nam, ad obligationem Iustitiæ fundandam, requiritur, ut transferatur Ius Iustitiæ in alium, quod Ius, cum sit potestas, quam quis habet disponendi, ut liber, de rebus suis, non potest transferri sine ipsius voluntate. Si igitur sine animo obligandi dicas solum verbis, te obligare, non habes animum transferendi Ius in alium, ergo non transferes Ius, & consequenter non surgit obligatio Iustitiæ. Rursus ad Votum firmandum requiritur, ut Deus acceptet, seu acceptare existimetur, quod per Votum promittitur; at, quando tu Voto solo externo sine animo vovendi promittis, Deus videt tuum hunc actum non promittendi. Ergo non potest acceptare promissionem, quam nullam esse videt, nec potest eius impletionem rationabiliter à te expectare. Quare Votum istud votum nullam afferet obligationem Voti. At in casu tuæ promissionis, quamvis solum externè homini factæ, homo, qui cor tuum non videt, meritò, & rationabiliter à te fidem datam expectat, immò exposcit; ergo meritò virtus fidelitatis te in hoc dirigere debet, ut scilicet promissum, etiam tunc, serves. Hæc breviter pro curiosis dicta sufficiant : nam cæterum *loc. cit.* latius prosequitur Delugo.

Pars III.

1. ID commune esse omnibus contractibus, quia omnes involuntarij esse debent, monitione potius indiget, quam probatione. Nam propterea contractus furiosi, amentis, ebrii, dum tamen in amentia affectione sunt, invalidus est. Quod si Fabianus Papa *C. Ne furiosum* 33. *quæst. 7.* dicit neque furiosum, neque furiosam contrahere matrimonium posse, sed si contractum fuit, non esse separandos, intelligitur, si contractus fuit, dum non erant in affectione furoris, nam eo deinde superveniente, non propterea desinunt veri esse conjuges.

2. His iam certis suppositis, solum hic quærimus, an semiplena deliberatio sufficiat ad inducendam obligationem promissionis, sive sub mortali, sive sub veniali ?

3. Dico, nequaquam sufficere, sive res promissa sit gravis, sive levis, sed semper esse necessariam deliberationem plenam, quæ est illa, quæ requiritur ad mortaliter peccandum. Ratio est, quia homo ad certam obligationem sibi inducendam, sive sub mortali, sive sub veniali, debet, ut homo, illam sibi inducere. At operans per semiplenam deliberationem non ut homo, sed ut semihomo, ut ita loquar, operatur; ergo, &c.

Confirmatur primò, quia, sicuti per promissionem absolute se quis sub fidelitate obligat ad hanc rem, v. g. donandam, ita absoluta debet esse deliberatio, qua rem illam à se abdicat.

Confirmatur secundò, quia, sicuti ex communi sententia Legislator non potest imponere alteri legem quomodocunque obligantem, nisi perfectè deliberans. Ita nec ipse homo sibi ipsi. Hanc sententiam, ut communem sequitur Molina, d. 267. *Vasq. de matr. c. 1. n. 3.* Sanch. l. 1. *matr. d. 8. n. 5.* Delugo d. 23. de *Iust. a num. 17.* alique, quos adi, ut aliquas obiectiones solvas *ibidem* legas.

4. Illud autem hic notant Doctores iidem, in homine sanæ mentis, quando aliquid promittit ex calore, sive iracundiæ, sive affectionis, sive similis passionis, rarò non adesse plenam deliberationem, quia rarissimè tanta esse solet mentis perturbatio, ut non sufficienter voluta sint, quæ tunc fiunt; secus homicidia, furta, fornicationes nimis facile (cum soleant in fervore passionis fieri) à peccato mortali excusantur.

Promissio dubiè libera.

5. Sed quid si verè, omnibus expensis, dubitetur, an adfuerit plena deliberatio, quod quidem aliquando posset evenire in promittente, qui sit mentis sanæ, sæpius autem in amente habente lucida intervalla, vel in amente circa aliquam materiam, non verò circa omnem, & in puero existente intra confinia temporis acquirendi perfectum usum rationis, &c.

Respondeo: Si certus es, quod promiseris, sed dubitas, an perfectè deliberatè promiseris, Sanch. *dist. disp. 8. n. 17.* te obligat ad exequendum, quod promissum, & idem esse, ait, si sic vovisti. Ratio est, inquit, quia possidet tunc promissio, de qua certus es. Verum, sive sis certus, quod ore promiseris, sive sis dubius, si tamen dubitas, an perfectè deliberatè, putà an promiseris, dum esses extra perfectum deliberationem, te probabiliter non obligat Castropal. l. 1. *rr. 1. d. 3. p. 11. n. 4. & 7.* Ratio est, quia, si dubitatur de perfectè deliberatione, non est certum, adesse promissionem, de cuius essentia est, esse à plena rationis advertentia. Quare tunc prævalebit tua libertas, quæ certa est. Hanc ego sententiam, l. 1. in *dec. c. 3. §. 7. v. v. n. 6.* secutus sum, ubi dixi etiam *ibid. v. Profess. Relig.* quid sentiendum de Professione Religiosa. De Matrimonio autem dixi *sup. l. 8. de matr. c. 3. de spons. c. 1. §. 4. n. 10.*

ff 3

CAPVT

CAPVT IV.

De illo verbo Descriptionis:

Spontanea.

1. Hoc etiam est commune omnibus contractibus. Quoniam verò id potest deficere in casu nostro, quando promissio extorquetur metu, dolo, vel ignorantia, seu errore, &c. ideo hæc sunt breviter percurrenda.

Promissio Violenta, Meticulosa, Fraudulenta.

2. Promissio igitur per vim, vel per metum, vel ex fraude extorta, nulla est. Unde tu sic animo, repugnanter, promittens, non obligaris facere, vel dare, quod promittis, nec promissarius exigendi ius ullum acquirit. Ratio autem est, quia tibi sic promittenti injuria fit, unde ius ullum oriri non potest in alio.

3. Si metus fuit levis, idem aliqui assintant, aliqui verò negant. Cum his posterioribus ego sentio, quia, dum metus est levis, is facile à te vinci potest (sic levis non esset si non vincis, tibi imputatur, non alteri metum inferenti). Dixi tamen l. 1. in dec. c. 2. §. 6. num. 4. sententiam assintantem esse probabilem.

4. Hinc sequitur, promissionem factam Parenti à Filio, Viro ab VXore, Principi à Vassallo, Latroni à Viatore, propter metum gravem ibidem à nobis explicatum, sine quo facta non fuisset promissio, non inducere obligationem.

5. Quid, si Promissioni huic addatur Iuramentum? Respondeo, quando, quod promittitur, potest sine peccato adimpleri, inducit obligationem, non ex vi promissionis, quam nullam esse jam vidimus, sed ex vi reverentiae Deo debita ex virtute Religionis. De qua re fusè diximus lib. 3. in dec. cap. 3. §. 5. num. 6. omnino videnda.

Promissio ex Errore.

6. Error dupliciter potest in re nostra intervenire. Primò, in ipsa promissione. Secundò, in re promissa.

Quoad prius: Si quis promittat, nesciens, quid sit promissio, vel nesciens, in promissione adesse obligationem exhibendi rem promissam, ad nihil obligatur, quia propter dictam ignorantiam, non potest quis habere voluntatem fidem dandi, sequè obligandi: Voluntas enim non fertur in incognitum.

7. Quod si promittens intendat facere, quod alii faciunt, sanè obligabitur, quia jam alii obligantur, unde sic ipse tacite obligationi consentit. Lege Bonacinam, d. 3. de contr. q. 12. punct. 1. n. 9. alios citantem.

8. Quod posterius, id est, quando error contingit in re promissa, sic distingue: Si quis erret primò, circa substantiam rei promissæ, seu (quod in idem recidit) circa qualitatem tanti momenti, ut redundent in ipsam rem promissam, vel secundò, circa finem, seu causam principalem promissionis, quam appellare solemus motivam, ad nihil tenetur. Exemplum prioris: Promissi dare tibi hanc laminam æream, quam deinde invenio, esse auream. Promissi dare hoc mancipium, quod deinde invenio habere conditionem quandam magni momenti, v. g. esse meum consanguineum. Promissi dare equum hunc quem deinde invenio, non esse meum. Exemplum posterioris: Promissi tibi centum, quia puto, te esse pauperem, unde tota causa promittendi fuit paupertas, tu verò es dives. Promitto commodare tibi equum, quia puto, te iturum ad venandum, unde tota causa promissionis fuit tua venatio, tu verò Domi sedes. Promitto mea holoserica aulæ, quia puto, te festum talis

Sancti in Ecclesia celebraturum, unde tota causa, et suppono, fuit pietas in illum Sanctum, tu verò non ad celebrandas illis uti. Dico, in his casibus nullo modo quando intervenit error in substantia, quod promissum fuisse potest esse actus voluntatis me obligans, nisi casus, quem cognosco, voluntas enim est potentia ceteris ingens ad suum actum eligendum manductio. Item, si quis cognoscens: S. Ergo substantiam rei promissam cognosco, ad illam tibi donandam, me obligare non poterò. Ratio, quando intervenit error circa causam motivam, est, quia promissor non intendit se obligare, nisi ex causa, qua ipse efficaciter moveatur: hæc ergo totaliter cessante, cessat effectus, qui totus pendet de illa causa.

9. Si autem error fuit, Primò, in qualitate rei promissæ, quæ qualitas non sit tanta, ut error circa ipsam reddat in ipsam substantiam: vel, Secundò, si in causa, nupus principali, quam impulsivam solemus appellare, scilicet non est tanti momenti apud promittentem, ut error circa ipsam faciat notabilem mutationem in ipsa voluntate, valida erit, & obligans promissio.

Exemplum prioris: Promitto tibi hanc laminam, quam puto esse aurum commune, deinde invenio, illam esse aliquantulum majoris perfectionis. Promitto tibi hoc equum, quem puto esse octo, v. g. annorum, deinde invenio esse annorum septem, vel novem, &c. Exemplum posterioris: Promitto tibi centum, quia puto te esse pauperem, deinde invenio te esse aliquantulum minus pauperem, quam ego credideram: Promitto tibi equum, quem puto, te iturum ad tuum prædium, deinde invenio, te iturum ad prædium tui amici æque, vel pauperis, stans à tuo, &c. Dico, in his, & similibus casibus te obligari ad servandum, quod promissum est. Ratio est, quia error non est tantus, ut voluntas non fuerit mota ad promittendum, licet aliquantulum difficilior, &c.

10. Scio, esse sæpissime arduum, cognoscere, quando tantus est error, ut faciat, vel non faciat ejusmodi effectus. Verum, id ego distinguere explicat satis, l. 3. in dec. c. 3. §. 5. à n. 21. c. 13. per totum.

11. Denique, non est hic præmittendum notabile discrimen inter dolum, & errorem. Nam, si error sit in qualitate non redundante in substantiam, vel causam finalem, valida est promissio, ut dictum est. Verum, si error sit in dolo, nam, si dolus, sive à promissario proveniens, sive à quocunque tertio, fuit in sola qualitate, quæ non redundante, nec in substantiam, nec in finem, promissio semper erit invalida, & nihil obligans, ut rectè Turtianus disp. 66. in b. 2. n. 2. c. 4. quem citat Bonacinam de contr. quæst. 12. punct. 1. n. 14. fin. Ratio est, deinde, quia in casu ejusmodi doli, Promissarius acquiritur hoc expectandi promissum ex injuria, quæ promittenti fit per dolum, quod esse non posse, diximus num. 2. quæ ex injuria non est in errore.

CAPVT V.

De illis verbis:

Alienjus rei possibilis, & licita in futurum faciende.

1. Rem debere esse possibilem, & licitam, quæ est impossibilis nulla potest esse promissio, & ad rem illicitam, hoc est, ad peccatum, nemo se obligare potest, hic potius utpote certum supponimus, quam incertum. Id, quod adeo verum est, ut etiam in promissione, si contractus oneroso, si quid tibi promissi pro opere turpi, obliget rescindere ejusmodi contractum, ut fuit dictum est, l. 7. in dec. c. 5. §. 3. à n. 8.

In hac autem vera, & certa doctrina, quatuor alibi sunt quæstiones dissolvendæ.

ratione intelligatur *ibid.* explicuimus) nam propterea Deus ejusmodi Votum impediens majus bonum non acceperat unde Consequenter fit, ut nulla ab eo Voto obligatio inducatur. At homini placet, gratumque est illud, quod tu ipsi promittis, quauvis impeditum sit majorem boni, dummodo res promissa non sit peccaminosa, vel contra Divina Consilia. *Lex ibid. c. 3. §. 3. n. præsertim 3. & 10.* Quare non mirum est, si tu sic promittens obligaris ad rem promissam adimplendam.

3. Respondio: Si res promissa sit dividua, & non promissa fuerit indivisibiliter per modum unius cum alia, obligabit promissio, quoad partem possibilem, vel licitam, ex regula Iuris: *Utile per inutile non vitiatur*. Si vero sit individua, quæ scilicet separari non potest, vel quamvis separari in se posset, illam indivisibiliter, & per modum unius promissum, non obligaberis, quia tunc totum, ut si, impossibile, vel malum est, cum malum ex quocunque defectu sit, ponitur verò ex integra causa. De his autem latè à nobis dictum est, cum egimus de Voto, ubi advertimus, nec obligare ejusmodi promissionem rei impossibilis, vel illicitæ, etiam si additum fuerit juramentum, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, & ad impossibile nemo tenetur.

Si cum expensis cœpi exequi id, quod turpiter promisi; An, si me pœnitet, possim petere illas expensas, vide apud Tancr. p. 2. tr. 5. quæst. mor. 60.

§. Hæc sunt ex dictis clara : Sed difficultas hæc in re
est, An, quando quis nihil cogitando de ejusmodi divisi-
bilitate: vel indivisibilitate promittat, v. g. summam pro-
digam, an, inquam, valeat tunc promissio pro parte non
prodiga ?

7. Hoc autem, quod dixi de pecunia, dicatur de aliis rebus, quæ similiter ex se dividi solent, ut si promitteres centum boves, centum oves, prædium tot jugerum, &c. Nam divisibiliter quis præsumitur promittere ea, quæ apta sunt dividi, multo magis, quæ dividi communiter solent.

At verò, quando agitur de rebus, quæ dividi aptæ non sunt, vel certe dividi non solent, indivisibiliter (nisi contrarium expresse constet) promittitur, adeoque integrè debentur. Quis enim non videt totam vestem integram, integrum torquem, integram ovem etiam cum lana, quam ea habet, debere te donare, si hanc vestem, torquem hunc, ovem hanc absolute promissisti?

Promissio rei impeditiva majoris boni, vel rei indifferentis.

8. Inquires secundò: An promissio facta homini, si sit
impeditiva majoris boni, sit valida & obliget?
Respondet affirmatiue.

Respondet affirmativè. Neque dicas: Votum factum Deo, quod nihil aliud est, nisi promissio, quæ Deo fit, non obligat in simili casu; ergo neque promissio facta homini. Ne id dicas, inquam, nam neganda est consequentia propter manifestam disparitatem, quam *lib. 3. in Deo. c. 3. §. 2. n. 1. & 2.* attulimus; Deo enim placere non potest id, quod impedit majus bonum (quod tamen quia

10. Secundo, promissio facta Deo potest ab habente ejusmodi potestatem per commutationem mutari, vel tolli per dispensationem. At facta homini, & ab ipso acceptata, nec mutari, nec tolli potest, nisi ipso, cui facta est, consentiente.

II. Inquires tertio : Si promissi alicui factum alienum, ad quid obliger?

Respondet: Triplici modo id esse potest. Primo, sic absolute: Promitto tibi Titio, quod Caius ibit Romam, v. g. ad tua negotia peragenda. Secundo sic: Promitto tibi, me curaturum, ut Caius Romam eat. Tercio sic: Promitto, Caium Romam iturum, quod si non eat, ego fidejubeo pro ipso.

12. Profecto in secundo casu, me obligari ad curan-
dam Cali professionem, non est dubium. In tertio item
casu, me teneri ad id, quod fidei jussi, nec esse dubium po-
test. Dubium igitur in primo casu versatur. In quo non
apparet, an promissum fuerit ipsam factum alienum, an
verò procuratio, ut illud ab alio ponatur.

13. Equidem ex dictis lib. 3. in Decal. c. 3. §. 3. num. 2. hanc regulam efformare possum: Quoties promittit quis alienum factum; interpretandum est, promissionem fuisse ad præstanda quantum quis potest facere, quæ ad executionem conducunt, hoc est, ad curandum verè, & diligenter, ut fiat ab alio, id quod quis promissit. Ratio regulæ est, quia, qui factum ab aliena voluntate dependens promittit, nisi amens sit, id censetur promittere, quod à se dependet, id est, curaturum, ut alter factum illud exequatur. Excipies, nisi expressè, non nisi factum alienum promiserit cum positiva exclusionè suæ procuracionis; tunc enim is, ex una parte, attentivæ notam incurrit, at ex alia, ad nihil tenebitur, quia illius promissio alterum arcere ad nihil potest.

14. Quid, si sit dubium, an id expreſſerit?

Respondeo, tunc sanè ad prædictam obligationem obligabitur, quia non possumus libere liberari, quasi melior sit conditio sine libertatis, nam cum vincit voluntaria promissio, quæ cum sit de facto alieno, semper imbitur, ut dictum est, obligationem procurandi, & quidem si adest iuramentum, sub mortali ex se. Si vero sit sine iuramento, & sit mera promissio gratuita, sub ea culpa, quam mox diximus. Atque hæc in foro conscientie: in foro autem externo, aliud est dicendum in Iure Civili, aliud in Canonico: Iudex enim Ecclesiasticus, siue in materia Canonica, ut notant passim Doctores, siue (ut ego putaverim propter paritatem rationis) in quacunque materia, cuius iudicium pertineat ad Iudicem Ecclesiasticum, Iudex inquam, Ecclesiasticus condemnabit eum, qui absolute promittit factum alienum, ad prædictam procuracionem, quia ad Iudicem Ecclesiasticum pertinet omnem culpam, quantum potest, impedire; culpa autem est, non servare id, quod implicite involvit promissio.

15. At verò Iudex Civilis ad nihil condemnabit, cum

qui absolute factum alienum promittit, quia Iudex Sæcularis fortasse præsumit illum sic voluisse locari, vel quid simile. Excepe tamen septem casus, in quibus Iudex idem, quamvis non Ecclesiasticus, promittentem de facto alieno condemnat.

I. Quando quis promittit aliquid, quod à suo hærede faciendum sit.

II. Quando quis promittit aliquid in Iudicio, ut quod alio ad Iudicium se sitet.

III. Quando promittit quis rem pupilli in leuomen ab alio esse seruandam.

IV. Quando promittit quis, aliquid præstandum à suo seruo, vel filio, quos cogere potest.

V. Quando promittit quis Matrimonium alienum.

VI. Quando quis factum alienum promittens, promissionem iuramento confirmat.

VII. Quando quis alienum factum ita promittit, ut adiciat poenam aliquam se subiturum, se, v. g. centum aureos soluturum, si illud non fiet.

Et quidem in primis tribus casibus ex dictis Iudex dictus Civilis condemnabit sic promittentes ad interesse promissario fortè secutum. In aliis tribus saltem ad procurandum, ut factum fiat. In septimo ad solvendam ipsam poenam. Hæc exactius tractata vide apud Sanchez lib. 1. *matrim. d. 24. Molinam d. 208. Delugo d. 23. de Inst. à nam. 115. aliisque.*

16. Sed quid, si in hoc septimo eventu promittens diligenter curauit, ut ille alter promissum seruetur; adhucne obligabitur ad prædictam poenam?

Respondetur, probabilius non esse, obligari, idque in utroque foro, quia, qui promittit sub aliqua poena, implicite intelligit, si culpam ea poena dignam committat. Neque enim promittitur solvi poena, nisi iuxta eius naturam, quæ semper culpam debet supponere. Ita Sanchez, l. c. d. 15. num. 3. cum multis.

Promissio de re aliena.

17. Inquires quid: Quandoquidem diximus de promissione alieni facti, quid sentiendum de promissione alienæ rei? Si v. g. promitto tibi librum, qui non est meus, ad quid tencor, cum rescivero librum non esse meum?

Respondeo, esse distinguendum: Si promissisti liberaliter hunc numero librum alienum, hunc numero equum, &c. re ad nihil condemno, cum resciveris tuum non esse, quia in donationibus liberalibus nemo præsumitur, se obligare ad alterum tantum, quod Iuristæ dicunt ad evictionem. At, si eadem liberalitate promissisti librum in genere, equum in genere, &c. re obligaberis sub ea culpa, quam dicemus *infra*, afferri à promissione liberali, quia eo modo promittendi, rem, quam habere poteras, atque adeo de tuis bonis promissisti. Ita Molina *disp. 252. num. 6.*

18. Quid, si promitto librum, quem scio, non esse meum?

Respondeo, nimis est manifestum, nullam esse promissionem tuam, quia de aliena re disponere non vales. Te tamen non effugere notam deceptoris, atque, si sic sis causa alicuius damni, te illud rescircare necessario delere, nimis etiam manifestum est.

CAPVT VI.

De illo Verbo:

Ab aliquo (& illo) Alteri.

1. Hæc verba exposcerent, ut hic enumerarentur ij, quibus promitti, & ij, qui promittere possunt, qui sanè sunt iidem, qui possunt donare, iidemque, quibus donari potest. Verum, de his satis à nobis actum est

in aliis locis, quæ notabo cum de donatione, *supra ultimo.*

2. Difficultas autem illa quam nonnulli hic tangunt, An quid promitti possit Hæreticis, Excommunicatis, & fidelibus non baptizatis, videatur apud Turrian. d. 4. dub. 2. & Delugo *disp. 23. de Inst. n. 127.*

3. Rursus, an Promissio facta Hæreticis, profana suam sectam habet inter Fideles, valida sit, & an licet videretur apud eundem Delugo, id, quod universitas agitatur Vercellensi de Missis, tit. 14. *Miscell. 194.* sub quaestione, an possit promitti Religiosis liberis.

CAPVT VII.

De illis verbis:

Data alteri, ab eoque accepta.

1. Promissionem liberalem esse datam alteri, significat, ut initio innui, promittentem, fidem datam promissario, ut ipse promissarius rem ab ipso promittente expectet. Quare, qui sic promittit, profectus se fore aliquam tandem obligationem rem promissam exequendi. De hac ergo obligatione equantiamus in præsentia discurrendum erit. Et quidem agamus prius, quoniam fides data est, sed nondum acceptata, postea vero, quando & data fuit, & acceptata.

§. I. Promissio data, sed non acceptata, quam obligationem pariat, quoad obligationem ex Iustitia.

1. Quamvis Promittens det fidem alteri aliquid præstandi, idque illi per signa externa manifestum, modo *supra* explicato, unde ex parte sua promittens ponat totum illud, quod requiritur ad veram promissionem, seu fidei dationem; tamen nullus sit, qui legitime acceperit, multo magis, si sit aliquis, qui legitime respuat (qui sint hi, *mox* §. 3. explicabimus) nullam contrahit obligationem ex Iustitia, exequendaque promissit.

2. Siste hic tantisper, Ne enim confundas promissionem factam homini, de qua loquimur, cum promissione facta Deo; Nam hæc semper valet, & quidem conuenit cum Voto, quia Deus semper est præsens, & supponit acceptare. Verum; an omnis promissio facta in conscientiam, v. g. promissio aliquid donandi tali Ecclesie, vel Hospitali, pauperi tali, &c. ante acceptationem huius valeat, quasi semper acceptetur à Deo, varie sunt sententia. Mol. & Laym. quos sequitur, citatque Diana *p. 2. r. 106.* affirmant, opus enim bonum semper à Deo acceptari credendum est. Negant Baumius, Lessius, & Sanchez apud eundem Dianam, quia ex una parte cuiusque promissio non semper est votum, ut certum est; Si enim promitto dare pauperi elemosynam, non statim voto meo dare, quia non dirigo promissionem ad Deum, & ex altera parte natura promissionis est respectiva ad alium, quoniam ex consensu etiam alterius debet suam vim accipere. Unde utraque sententia probabilis est.

3. Iam verò, ut redeamus ad nostra: Hæc doctrina, quod semper sit necessaria acceptatio ad parandam obligationem ex Iustitia, adeo certa est, ut Doctores tam supponentes solum quærant, an de iure positivo existat, an etiam de iure natura requiratur hæc acceptatio ad hanc obligationem inducendam. In qua quaestione illa prius tenet Molina, d. 163. num. 12. & Covarruvias quæ prius tenet Molina, d. 163. num. 10. hoc posterius tenet Sanchez, lib. 1. *matrim. d. 6. num. 10.* hoc posterius tenet Lessius adductus à Delugo *mox citando*. Ponat, d. 34. *de Inst. r. 106. quæst. 12. p. 2. n. 4.* Delugo d. 23. de Inst. n. 30. aliter. Et ratio melior esse debet quia, ad inducendam obligationem Iustitiæ, debet promittens transfere posse suam potestatem in promissarium, per quod is habeat potestatem

gendi promissum : at hoc Ius transferri in alterum non potest, nisi hic alter illud velit recipere, atque adeo, nisi acceptet. Ni ita dicemus, sequeretur, quod si Rex mihi donaret Regnum, & ego illud acceptare nollem, invitus essem Regni Dominus.

4. Confirmatur item à posteriori, quia si promissarius, vel donatarius acquireret rem ante suam acceptationem, v.g. servum, sequeretur, cum sine sua voluntate, & omnino coactum, debere habere curam dicti servi, v.g. si egrotaret, vel ne delinquat, ut pote iam in ipsius dominio constituti. Et rursus sequeretur promittentem, donantemve : posse exercere superioritatem in promissarium, & donatarium, dum illi posset cogere ad habendum, quod ipsi nolint, ut ad curam prædicti servi egrotantis suscipiendam, &c.

5. Neque dicas, ut acquiratur Ius ad legatum, non requiritur acceptatio, immò, neque notitia legatarii de eo, sed statim, secuta morte Testatoris, res legata ad legatarium pertinet, ergo eodem modo, ut acquiratur Ius ad rem promissam. Ne id dicas, inquam, nam etiam in Legatario, vel eius successore requiritur acceptatio, sed Lex propter bonum publicum disposuit, hac acceptatione posita, acquisitionem Legati retrahat ad tempus mortis Testatoris, hoc est, res legata censetur acceptata & acquisita usque à tempore dictæ mortis, ut dicitur in 17. de Testamentis.

6. Ex dictis fit, ut promittens possit sine iniustitia promissionem, immò, & donationem revocare, si nondum promissarius, seu donatarius, sive per se, sive per alium legitime acceptaverit; nam donec ij acceptent, non acquirunt Ius in rem, sive promissam, sive donatam. Ergo ille promittens, revocando, alterius Ius non lædit.

§. II. An eadem promissio nondum acceptata obliget ex Fidelitate.

1. Dicitur est autem (nullam obligationem contrahit ex Iustitia) nam, an contrahat aliquam ex virtute Fidelitatis, controversia est apud Doctores. Valsq. d. 4. de matr. cap. 4. n. 43. & Turrian. d. 64. dub. 3. num. 3. nullam contrahere putant, contrahere aliquam putat Delugo d. 23. de Inst. num. 41. Huic assentior, cum distinctione tamen; nam, si Promissarius nihil prorsus audivit de tua liberali promissione ipsi facta, nullum contrahes obligationem, & in hac parte convenio cum Valsquez, & Turriano, at si promissarius scivit tuam promissionem, licet adhuc non acceptaverit, tu contrahes obligationem, quam tamen fateor esse levem ex se, at fatetur idem ibid. Delugo) Ratio est, quia, ut supra vidimus, promittens tenetur ex virtute fidelitatis conformare suum dictum factis.

Quoniam ergo, quando nondum promissarius tuam promissionem scivit, tu nihil ipsi dixisse adhuc censuris idcirco tunc hanc quidem levem obligationem confirmandi dictum factis, in favorem ipsius, seu ratione ipsius suscepisti. At quando is scivit, licet nondum acceptaverit, iam illi promissionem enuntiasti, quare, & obligationem conformandi tuum dictum factis contraxisti: Quod promissarius deinde nolit acceptare, ex alio capite ab omni obligatione liber eris, nempe, quia obligationem omnem tibi sic remittit.

2. Nota autem, hanc obligationem, quia illa satis est levis, ut dixi, & non ab omnibus admittitur, vix in hoc Tractatu considerari solere; supponere enim semper solemus, nullam obligationem, neque ex Iustitia, ut omnes fateamur, neque ex fidelitate, ut ore satis levem, oriri ex promissione non acceptata.

3. Quid, si promissionem prædictam ante acceptationem iuraveris?

Respondeo: Post notitiam, licet ante acceptationem promissarii, multò magis post acceptationem, obligaberis ex vi iuramenti, atque adeo ex virtute Religionis, seu

ex virtute fidelitatis, ut coniuncta cum virtute Religionis, obligaberis enim iuratum tamen alteri intimatum exequi quia obligaberis dicta cum iuramento comprobare factis, nisi forte promissarius nolit acceptare, tunc enim satis abundè remittit, vel, nisi promissio sit de re mala, de qua infra.

4. At ante omnem notitiam promissarii ad nihil obligaris, quamvis iuraveris. Hoc enim iuramentum non est factum Deo, quasi aliquid ipsi promiseris: ergo nihil illi debes, nec est factum homini, neque enim iuramentum fit homini, nisi ipsi fides detur, seu, nisi ipsi dicatur id, circa quod datur fides. Cum ergo ante notitiam promissarii nihil illi dictum sit, nihil illi iuratum fuit, atque adeo nihil illi debitum.

5. Confirmatur, quia promissio, & donatio, nondum tradita re, facta homini, sive absenti, sive presenti, semper imbibit conditionem, si alter acceptet. Si ergo quis nec scivit, nec acceptavit promissionem, clarè consequitur illam non posse ullam habere vim, & consequenter nec iuramentum illi adhaerens, quia etiam iuramentum intelligitur, si ponatur illa conditio.

6. Dixi (facta homini) si enim Deo fieret promissio ob pietatem operis, quæ promittitur, sane erit votum iuratum, & observandum, quia Deus huiusmodi promissiones pias ipsi directas semper supponitur acceptare; ut dixi n. 1. Ita Delugo d. 23. de Inst. n. 86.

§. III. An sint casus, in quibus promissio liberalis obliget sine acceptatione?

1. Plures docent esse aliquos casus, in quibus promissio nondum acceptata obliget. Unde revocari nullo modo possit. Sed revera in his casibus, ideo revocatio locum habere non potest, quia licet primo aspectu non appareat, adest tamen dicta acceptatio. Discutiamus per quatuor casus, qui hic agitari solent.

2. Primus casus est, quando promissio ita est facta ad causaspas, ut ea fuerit directæ non ad ipsum locum, personamve piam, sed ad Deum, sic, v.g. *Promitto Deo dare pauperi aureos decem*: Hanc ergo promissionem revocari non posse, etiam si ille pauper non acceptaverit, fateamur omnes; Verum, id meritò fatemur, nam asserimus, hic adest acceptationem; hæc enim est promissio directè facta Deo, atque adeo est ipsissimum Votum quod Deus acceptat, unde, & inducens Voti obligatio, nem, quæ revocari non possit. Ita Sanch. l. 1. matr. d. 6. à n. 16. alique.

3. Secundus casus, quando promissio facta est Civitati, & quidem ex quinque causis. Primò, quando facta est ad reparandam ruinam dictæ Civitatis, ortam, v.g. ex incendio. Secundò, quando facta est ob gratitudinem, quia scilicet aliquid illi promissum ob honorem ab illa tibi collatum. Tertiò, quando facta est ob aliquod opus, v.g. ob ædificium, quod iam ceptum sit fieri. Quartò, quando facta est promissio de aliqua re Civitati, & illam dedisti Municipibus. In his casibus leges allatæ à Molina d. 263. iubent, non posse revocari, quod promissum, vel quod datum est, quamvis præcindatur ab acceptatione. Verum, legatur Delugo, d. 23. de Inst. à num. 45. qui respondet, vel in his omnibus supponi positivam acceptationem factam à presentibus, qui promissionem audierunt, quique per has leges, quasi Procuratores facti sunt Republicæ, vel eas leges iubere promissionem obligare ante acceptationem, sed postea.

4. Tertius casus est, quando aliquid promittitur, vel datur infanti: nam tunc promissio, vel donatio est irrevocabilis ex iure, *L. iubemus, C. de emancipatione*. Sed certè lex solum loquitur de emancipatione, non verò de aliis rebus. Quod autem emancipatio data, vel promissa infanti (quamvis eo non acceptante) sit valida, non officit data doctrina, ut mox videbis clariùs §. seq. n. 5.

5. Quartus casus est, quando promissio facta eidem infanti absenti, directæ est alicui præsentis, qui loco absentis

sentia acceptet, ut, si hic quis promittat: Promitto tibi presentem dare centum Francisco Infanti. In hoc enim casu revocari non posse promissionem, docetur communiter, etiam si, non Franciscus Infans, sed tu solus acceptaveris. Vultum, hic adesse acceptationem factam à tertio, id est, à te, iam supponis, à te, inquam, quasi constituto legitimo Procuratore in re utili Infantis. Quid autem requiratur universaliter ad legitime constituendum aliquem, ut is possit pro alio acceptare, dicitur mox § 4.

§. IV. An ad remissionem debiti, & ad cessionem Iuris necessaria sit Acceptatio?

1. Per hanc occasionem, Inquires, An ad remissionem debiti requiratur etiam acceptatio eius, cui debitum remittitur, v. g. Si ego tibi meo debitori in aureis centum, eos remittam, live animo dumtaxat, live verbis, sed te nondum acceptante, possumne revocare dictam remissionem, & exigere à te debitum?

2. Respondeo, requiri acceptationem, unde in exemplo allato, te posse revocare, & consequenter exigere debitum. Ratio est, quia remissio debiti donatio est, nam propterea vocari solet condonatio, & per illam transferri debet Ius, quod habet creditor in ipsum debitorem, id, quod sine acceptatione non fit, ut ex dictis Delugo d. 13. de Inst. n. 54. patet.

3. Illud tamen diligentissime est advertendum, non idem esse in cessione, seu renunciatione iuris, quae fit, quando quis habens Ius contra rem, quam alius iuste possidet, illi Iuri cedit. Exemplo res erat manifestissima: Sim ego, v. g. ex Testamento Tiej substitutus in hereditate, quam Caio reliquit dictus Titius, Caius autem noluit adire dictam hereditatem seu velit eandem suo Iuri, dico, etiam si ego nihil sciverim de hac cessione, illamque non acceptavimus, nec Dominum Iuri hereditatis, modo explicato in tract. de testamentis, nec illam cessionem amplius revocari posse à Caio. Ratio est, quia ego substitutus Iuri fui à Titio, velut ad habendam hereditatem, sed illam intendebat impedimentum ex eo, quod prius fuit ad hereditatem vocatus Caius. Removere igitur impedimentum, iam ego ex vi substitutionis hereditatem legitime acquiritur. Substitutus Sed ut amoveretur impedimentum neque notitia mea, nec acceptatio requiritur sed solum voluntas illius, apud quem potestas erat tollendi, vel ponendi impedimentum, ergo, &c.

4. Atque ex hac doctrina, si recte memineris, colligere Lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 3. num. 7. potui coniugem remittentem alteri coniugi culpam adulterij, non posse eam remissionem amplius revocare, quamvis alter eam nesciverit, & non acceptaverit, quia illa est mera cessio seu renuntiatio Iuris, non verò remissio debiti. Locum recole.

5. Ex eadem doctrina colligo in presenti, cur emancipationem infantis fieri sine ipsius infantis consensu, seu acceptatione, disponitur à iure, Lib. 1. de emancipatione. Ratio est, quia ut nota Turrianus, d. 64. dub. 5. n. 10. in emancipatione pater nihil dat de suo sed solum cedit patriae potestati, quam de Iure solo positivo Pater habebat. Ea ergo potestatis de licentia eiusdem Iuris legitime dimissa, filius statim revertitur ad suam naturalem libertatem.

§. V. Promissio acceptata quam obligationem in conscientia pariat.

1. Vid requiratur ad legitimam acceptationem, mox, ut dixi, diligenter explicabimus, nunc enim ea supposita, quaerimus, an promissiones liberales (& idem est de Donatione gratuita in futurum ante traditionem; tunc enim ea Donatio non est, nisi promissio tradendi) an, inquam, eae obligationem pariant in promittente, ita ut resiliere à promisso non possit promittens? Liberalis, & gravita (dixi) nam

in contractibus, & quibusque pactis onerati acceptationem parere obligationem iustitiae, cum est, nec questionem dignum. Abstrahimus autem à damno, quod ex promissione non servata forte consequatur, quale esset, quando tu, v. g. ex eo, quod ego tibi promittam frumentum, & deinde non mutari, debitor carius emere, quam valebat tempore promissionis, inquam, intrinseci ipsi promissioni, id est, quod in passus es, praeter id, quod ipsam rem promissam non habuisti.

2. Iam verò, tametsi plures negent, ut Caius Anst. Sotus, Pet. Ledesma, alique apud Sanch. & Dianam citandos. Plures autem, ut Sanch. lib. 1. marrin d. 4. dicitur apud ipsum, & apud Dian. p. 4. r. 7. d. 112. affirmant liberalem promissionem parere obligationem graviorem moraliter gravi, alio tamen, id dependente ab intentione promittentis, quae, hac in re, quodvis esse potest.

3. Si enim primò, is, qui promittit, voluit se obligare ex virtute Iustitiae, obligabitur graviter in re, & consequenter promissionem revocare non poterit. Velle enim se obligare ex virtute Iustitiae, est, velle in promissarium Ius aliquod, (quod tunc non esse potest in re, sed ad rem promissam) & velle se condonare illi debitori Ius recipiende est ac si ab illo aliquod conferendum ipsi hoc Ius accepisset; quod cum proprio facere potest, potest ex mera libere voluntate cum quilibet de se disporere libere possit.

4. Si Secundò, is, qui promittit, se voluit obligare ex virtute Fidelitatis dumtaxat, obligabitur dumtaxat moraliter. Velle enim se obligare ex Fidelitate, est, velle se solum duci promissario rationabiliter Ius (quod licet quoddam Ius vocari potest per quod si te expectat prudenter rem promissam, quae hoc facit non solum in ea obligatione, quam habet quod confirmandi Ius dicta cum factis sed etiam cum factis, ut in superius dictis explicatum est.

5. Si tertio, is, qui rem gravem promittit, vult se obligare graviter, licet non explicet, sed non ex qua virtute, nunc obligabitur licet graviter, ex virtute Iustitiae. Ratio est, quia obligatio graviter ex virtute Iustitiae, est, quod obligatus graviter hoc ex virtute non potest, nisi ex eo quod promittens voluit transferre Ius ad eum in promissum, licet in eo non meretur. Ita Delugo mor. citandos.

6. Si denique quarto, is qui liberaliter, etiam rem gravem, promittit, non debet, ex qua virtute, acceptare, de aliquando, nec scire, gravem, vel levem obligationem, obligabitur solum venialiter, ut vult Delugo d. 162. Oñate d. 2. de contr. tr. 9. d. 13. §. 7. n. 39. Delugo d. 23. de Inst. d. n. 91. ex virtute Fidelitatis. Ratio est, quia n. 10. afferam.

7. Primum, ex his quatuor dictis patet, quia posita translatione Iuris, graviter laderetur in suo Iure promissarius, si promissum non servaretur.

8. Secundum idem patet, quia deludere Iperum non nisi leve est.

9. Tertium patet etiam, quia tunc rem res obicitur ad primum actum, in quo violari diximus Iustitiam.

10. Quartum denique, quod valde frequens, à quotidianum esse solet, inde probatur, quia, quando homines quid promittunt liberaliter, abstrahendo, vel non advertendo ad mensuram obligationis, non solent, nec censentur (quando aliud non obdunt) se obligare, nisi ad id, quod requirit natura liberalis promissionis: at haec non requirit, nisi obligationem levem.

11. Confirmatur, quia, nec ipse promissarius in hoc quarto modo promissionis aliquid amplius expectat, si imprudens ipse in coniectu humano iudicaretur, si eodem rigore expectaret id, quod ipsi modo dicto promittitur, cum quo solet expectari id, quod debetur ex Iustitia.

12. Confirmatur

12. Confirmatur iterum, quia promittens hoc quarto modo, omnibus expensis est dubius, an graviter obligetur, an leviter. ergo sicut in lege, quando dubium est, an illa obliget graviter, an leviter, possum ex Castro Palao tom. 1. tract. 13. de leg. d. 1. p. 9. num. 1. eligere, quod minus est, puta obligationem levem, ita hic: ubi adest quasi Lex privata, quam sibi indicit promissor.

13. Dictum autem est in hoc quarto dicto (quando aliud non addunt) Nam si quis addat, v.g. Iuramentum, vel Scripturam publicam, vel aliquod verbum significans rigorosam obligationem, ut si dicas: Obligo me, quantum possum, ad hoc, vel illud faciendum, seu donandum, seu vendendum, &c. quæ verba non sunt dicta urbanitatis gratia, si, inquam, aliquod ex his addas, signum est, te voluisse ex Iustitia obligare; juxta dicta in primo, vel tertio modo.

14. Hinc ergo rectè Sa. v. Promissio, num. 1. Vix, ait, quis promittentium obligari intendit, nisi juret, aut faciat Instrumentum.

15. Hinc Molina disp. 262. num. 8. ait, in ejusmodi gratuitis promissionibus homines, ut plurimum, nisi aliud expriment, velle solum ex fidelitate se obligare.

16. Hinc Lessius, l. c. 13. dub. 8. num. 58. quamvis nobis aliàs contrarius, fatetur multorum promissiones qui leviter solent multa promittere, hoc modo esse intelligendas.

17. Hinc Sanchez lib. 1. matrim. d. 5. num. 21. aliàs nobis etiam contrarius, admonet, plurimas promissiones excusari à mortali, quia non intendunt homines se obligare præcisè, sed ex quadam benevola honestate.

18. Porro indicia, quibus discerni potest, non affuisse animum se obligandi primo, vel tertio modo ex dictis, id est, sub mortali, sunt duo. Primum, si requisitus, ut promissionem juramento firmet, id recuset, non ob juramenti solum reverentiam, (quod certè non est passim etiam cum veritate adhibendum) sed ne alstringatur ad promissum servandum. Secundum, si, quando promissisti, rogatus fuisses, an velles te obligare ad mortale, respondisses, te nolle. Lege Oñate, loc. citat. sect. 8. qui latius hæc signa, unde dignoscatur ejusmodi intentio, percurrit.

Promissio dubia.

19. Quid si, omnibus expensis, sit dubium, an verba indifferentia ad significandam obligationem, vel solum urbanitatem, fuerint à te in promittendo dicta cum animo te obligandi, judicandumne erit, adesse obligationem?

Respondeo, non esse judicandum. Ratio est, quia in liberalibus Donationibus non censetur quis, se obligare per verba, quæ in alterutram partem sumi possunt, tantumque indifferentia ad significandam, vel obligationem, vel urbanitatem, tunc enim ea verba non arguunt animum se obligandi. Ita Delugo, d. 22. de Iust. num. 65. & Oñate, loc. cit.

20. Quod si hac occasione quæras: Quid, si verba non sint indifferentia, sed explicant obligationem rigorosam, ut, si dicam: Promitto tibi hanc rem, & me ex nunc obligo, quantum possum, ad hoc tibi donandum, sed verè sum negativè dubius, an id ex animo me obligandi, an solum ex urbanitate sic promiserim?

21. Respondeo: Communis opinio, quam idem Delugo ibidem à num. 61. sequitur cum Sanchez lib. 1. matrim. disp. 5. num. 20. & Castropal, tom. 1. tract. 1. disp. 3. p. 10. num. 4. docet, in utroque foro esse obligationem rigorosam. Nos autem idem docuimus lib. 1. in Decalog. c. 3. §. 7. v. Notum, num. 6. sed addimus, quoad forum conscientie aliquid benignius dici posse, idque non esse improbabile. Locum relege. Quæ tamen benignitas, an excipi possit in promissione, quæ imbitur in solemn

professione, & consequenter in Matrimonio aliis expendendum dedimus, ibid. v. Professio Religiosa.

Notabilis quantitas in Promissione liberali quo modo mensuranda?

22. Duo supersunt explicanda. Alterum: Diximus num. 8. & 9. promittentem, si se velit obligare graviter, peccare mortaliter, quando res promissa est gravis, & ipse non observat. I. m. scire quis capiet, eequam sit gravis ejusmodi res? In promissione prædicta liberali, v.g. pecunie, peccatone mortaliter, eam promissionem in illa quantitate non servando, in qua peccarem, si illam furarer?

23. Respondeo cum Sanchez lib. 1. matrim. disput. 5. num. 24. & Delugo d. 23. de Iust. num. 119. requiri quantitatem quadruplo majorem, quam requiritur in furto: Si, v.g. teneas, furtum quatuor Iuliorum esse mortale, sanè, ut sit peccatum mortale, non servare promissionem, qua te graviter voluisti obligare, requiritur, ut non serves promissionem donandi sexdecim Iulios. Ratio potissima est, quia minus offendit, qui rem suam non dat, licet promissam, quam qui alienam furto rapit. Et certè qui liberaliter promittit, non debet tam rigorosè urgeti, ut à sua munificentia neque urgeatur, ac à delicto furti.

Lege nostrum Opusculum de Sacrificio Missæ, lib. 3. c. 1. §. 9. ubi resolvo, an non solvens promissum de celebranda una, vel altera Missa, graviter peccet.

Quid addit Iuramentum supra promissionem acceptatam?

24. Alterum: Diximus num. 13. Iuramentum esse signum, quod quis se ex Iustitia, atque adeo graviter, obligaverit, si illud apposuit liberali promissioni: Hinc quærimus, an præcendendo à ratione signi talis animi, se obligare volentis, iuramentum ipsum ex se hoc faciat, id est, an iuramentum additum promissioni liberali, & non obligatorie graviter, eo ipso obligationem inducat sub mortali: & vinculum Iustitiæ superaddat. Vinculum Iustitiæ, dico, nam quod inducat obligationem sub mortali propter vinculum Religionis, quod à juramento superaddatur, certum est ex dictis lib. 3. in Decalog. cap. 3. §. 3. quia iuramentum semper est in honorem Dei servandum. Solum ergo hic quærimus, an superaddat vinculum Iustitiæ?

25. Respondeo, id etiam ex ibidem dictis decisum remanere. Probabile enim ibi reputavimus, nullum Iustitiæ vinculum addi per iuramentum. Sed solum vinculum Religionis. Quare vera esse existimamus, quæ Caramuel, lib. 2. Theol. Moral. d. 158. & latius n. 606. Promissio acceptata (inquit) in re gravis, quæ aliter non obligaret, si roberetur juramento, obligat sub mortali, sed solum ex vi juramenti (hoc est, ex virtute Religionis.) Vnde primo, poterit remitti à promissario. Secundo, si is, qui juravit, obtineat, inconsulto, aut contradicente illo, cui promissio facta fuit, ad nihil obligabitur, & non peccabit, quia tota obligatio nascebatur ex Iuramento, (hoc est, ex Religione) quod jam tollitur à Vicario Christi, hoc est, ab habente potestatem dispensandi. Hæc ille.

26. Rectè autem dixit, obtineat legitimam juramenti dispensationem, ut innueret debere intervenire causam dispensandi, nam ad legitimam quamcunque dispensationem obtinendam, debere adesse causam proportionatam, est communis doctrina. Quæ autem, & qualis, sufficiat, nos explicuimus, cum de juramenti relaxatione tractavimus lib. 3. in Decal. §. 3. n. 14.

§. VI. *Quidnam requiratur ad legitimam acceptationem?*

PERSONA LEGITIMA.

1. Requiritur primò, ut Persona, quæ Promissionem (immo, & quancunque Donationem) acceptat, sit legitima, id est, vel ipse Promissarius, vel alius ejus vires legitimè gerens: quis autem hic sit, dicam innox separatim.

Acceptatio sive externa, sive solum interna.

2. Requiritur secundò, ut ipsa acceptatio sit quidem, sed non necessariò sensibilis, & externa: ad formandam enim promissionem sufficit, quòd sit interna dumtaxat. Si enim mihi absenti scribas, equum mihi commodatum à te, mihi eidem te donare: & ego sine ullo actu externo, animo interno illum acceptem, acceptabo sufficenter. Idem ergo erit, si scribas mihi, aliquid te mihi promittere, & ego illud internè acceptem. Dixi (ad firmendam promissionem) nam ad hoc, ut promittens, vel donans cognoscat promissionem suam jam esse firmam, noscere sane debet acceptationem promissarii, vel donatarii, quòd absque acceptatione externa esse, sine Dei revelatione, non potest.

3. Dices: Cur ipsa promissio, vel donatio debet esse sensibilis, immò ipsi promissario intimata, & cognita, ut supra vidimus, acceptatio autem promissarii nequaquam?

Respondeo: Quia per promissionem, vel donationem debet Dominus transferre Ius rei in promissarium, vel donatarium, quòd sine ejusdem Domini expressione fieri nequit; nequit enim alter, nisi cognoscat hanc voluntatem Domini, consentire ad acquirendum ejusmodi Ius. At promittens, vel donans nullum Ius acquirere debet, quare non est necesse, ut alterius acceptationem sciat.

4. Dices secundò: Cur in aliis contractibus, vel donationibus onerosis, ad eorum irrevocabilitatem, & validitatem regulariter requiratur, ut acceptatio sciatur à donatore, vel ab alio contrahente, non autem in casu nostro?

Respondeo, quia in aliis debet oriri obligatio in utroque contrahentium, & uterque debet acquirere Ius alterius, & transferre Ius suum alteri; Si enim ego vendo tibi equum, non solum debeo transferre Ius equi in te, sed etiam debeo acquirere Ius ad pretium, quòd mihi tradis, vel promittis, quæ absque eo, quòd cognoscam tuum assensum, acquirere non possum: at in casu nostro promittens nihil acquirere debet, ut dictum est. Dixi (regulariter in aliis contractibus onerosis) nam esse aliquos casus, in quibus, neque in his, talis cognitio sit necessaria, indicat Delugo, *disp. 2.2. de Inst. à num. 33.*

Acceptatio absoluta.

5. Requiritur tertio, ut promissarius acceptet absolute, non conditionare: si enim conditionata esset acceptatio, deberet omnino expectari positio conditionis, ut ex se patet.

6. Hic incidit ea quæstio, quæ à Mol. d. 264. n. 5. nimis indistinctè proponitur, unde nec distinctè solvitur, An scilicet sufficiat ad legitimam acceptationem, si promissarius hoc modo acceptet promissionem, quam illi præfenti facis hujus libri, v.g. *Accepto, si tu vis, vel, si tibi placet.*

7. Respondeo, sufficere, quia, si ego promitto, vel dono aliquid tibi præfenti, jam volo, & mihi placet, ut acceptes, ergo jam purificata est ejusmodi conditio. Dixi (tibi præfenti) nam, si tu esses absens, & per Epistolam, v.g. aliquid tibi ego promitterem; non sufficeret acceptatio hoc modo facta, quia potuit occurrere, ut ego

promittens animum mutaverim, & jam non amplius voleat tua acceptatio, quia jam nolo amplius tibi donare, atque adeo, nec tu validè possis acceptare.

8. Quid, si quis ita acceptet? *Accepto tuam promissionem, si tu illam servare velis, seu, Remitte me tuæ voluntati, si velis promissionem stare?*

Respondeo, non sufficere, seu (melius) dico, non sufficere; sic enim acceptando, relinquis promittentem sine illa obligatione servandi promissum, ergo promissum nullam acquirit.

Auditio Promissionis.

9. Requiritur quarto, ut qui acceptat, audiat promissionem, vel donationem sibi fuisse factam, audiat inquam, vel ab ipso Domino, sive coram ipso, per Epistolam legitimè subscriptam, vel ab interuentio item legitimo, id est, per ipsum Dominum designato: non sufficit, si audierit à quocunque alio tertio, quia hoc promissionis factæ conscius fuit, & promissio est denunciata. Ita Sanch. l. 1. *matrim. d. 6. num. 3. Molin. d. 2.4. num. 3. Bart. Vnus, Clatus, aliqui Iuris. ab ipso. Ratio est, quia solus Dominus, vel ejus legitime vocatus gerens potest transferre in te Ius ad rem suam, quæ requiritur in valida promissione, vel donatione, non vero quilibet tertius sine legitima commissione ipsi donatario, donec Dominus per se, vel per alium hanc translationem notam legitimè faciat, animum verum transferendi non habuisse, judicabitur.*

10. Delugo d. 23. *de Inst. num. 72.* putat, sententiam contrariam (quam sequitur Gregorius Lopez affert pro se Baldum) quòd nimirum sufficiat dictum illi tertii non missi à Domino, esse aliqui non verum, id est, quando promittens loqueretur coram multis eo animo, ut sic sua promissio perveniret ad promissarium, inter Testatoris, quando loquitur coram Notario, & Testibus, ut cognitio hæc ultimæ dispositionis perveniret ad heredem viventem, immò etiam ad Successorem, non nondum nati sunt: & instat Dei, qui Mythena Fidei velavit Prophetis, ut ad posterum eorum cognitio perveniret.

11. Equidem approbo substantiam hujus doctrinæ, sed assentiri non possum, id esse ex contraria sententia. Manifestè enim est ipsissimum, quòd nos docemus, non illi multi præfentes, qui supponuntur cognoscere promittentem loqui cum animo, ut promissio ad promissarium perveniat, quales etiam sunt Notarius, Testes, & Prophetæ, designantur, & destinantur ad ferendam illam notitiam; ergo non sunt tertii non missi.

Acceptatio promissionis vera.

12. Requiritur quarto, ut acceptatio sit circa veram promissionem, non autem fictam. Immo, si tu promissum feris, id est, vero animo promittendi, sed ego puto te fingere, vel joculari, nihilominus acceptem, non erit acceptatio vera promissionis. Ratio est, quia ego acceptare non possum, nisi id, quòd cognosco; cum ergo non cognoscam, nisi fictam promissionem, fictam solum accepto, hoc est, accepto nihil.

Acceptatio post mortem promittentis.

13. Requiritur sexto, à nonnullis, ut acceptatio promissionis, seu donationis fiat, antequam promissarius, vel donans moriatur. Verum, id rejicit Lessius, & merito: potest enim fieri acceptatio, etiam post ejus mortem, sive à promissario, seu donatario, sive ab eorum heredibus. Ratio est, quia cum promissio, & donatio non revocantur, censentur etiam post mortem tenentis; unde, & apta, ut acceptentur. Ita Less. l. 2. cap. 18. num. 45. & 46. sequuntur Sanch. l. c. n. 5. Merellus l. 1. d. 2. c. 2. n. 890. alique.

14. Item Lessius, & Sanchez limitant hanc universalem doctrinam ad casum, quo promissio, vel donatio facta est ab ipso promittente, vel donante, at vero quando commissio, seu mandata est, ut fieret ab aliquo nuntio, tunc non posse valide acceptari post mortem promittentis, vel donantis, quia mandatum datum nuntio statim spirat morte mandantis, atque adeo cum nihil remanet mandati, nihil post eorum mortem acceptari valide poterit à promissario, vel donatario.

15. Sublimitant tandem iidem, se excipiunt à dicta limitatione, quando mandatum est ad pias causas. Primum, quia in favorem anime judicatur mandans voluisse, ut suum mandatum datum Nuntio perseveraret. Secundum, quia cum mandans in alia vita propensior sit ad opera pia, magis est iudicandus approbare mandatum illud.

16. Ego, ut ab hac sublimitatione incipiam, illam profecto approbo propter primam rationem dictam, non vero propter secundam.

Secunda enim ratio hæc est, quia in alia vita defunctus propensior est ad opera pia. Hoc dictum absolute non placet, tum quia forte defunctus est damnatus in gehennam, tum quia, esto, sit in gloriam, tamen ejus approbatio nihil prodest ad rem nostram; Cum enim defunctus amittat omne dominium rerum temporalium, ejus approbatio post mortem nihil juris transferre poterit.

17. Limitatio autem illa, quam Lessius, alique tradiderunt. 14. puta, spirare mandatum datum Nuntio à promittente, vel donante, non ulquequaque ardet; licet enim spirare probabile sit, unde invalide acceptari; tamen probabile etiam iudico, non expirare in casu nostro promissionis, seu donationis liberalis, quia mandatum favorabile, cum sit gratia facta, non expirat morte mandantis. Ita sustinet S. v. *Don. n. 21. & v. Mandat. n. 2* & in simili Diana, p. 8. r. 6. ref. 95. & ego L. 8. in *Decret. r. 4. §. 5. n. 11. dixi*. Sicut igitur, si promissio, vel donatio facta sit ab ipso promittente, vel donante, siue mediante Nuntio, semper posse post ejus mortem valide acceptari.

18. Denique non posse heredes promittentis, seu donantis revocare promissionem, seu donationem à defuncto factam, & ab ipso ante acceptance non revocam, manifestè sequitur ex data doctrina, cum jus revocandi non transeat ad heredes, & sic docent apud Merollam t. 1. c. 2. d. 2. n. 89. Bartol. Clarus, alique. Imò ejusmodi promissionem transire in legatum omnino ex iustitia tradendum promissario, dicitur in *tract. de Testam.*

Acceptatio Promissarii, & Donarii tacentis.

19. Requiritur septimò ab aliquibus, ut acceptatio fiat expressè. Sed certè etiam tacite fieri valde per silentium potest; In contractibus enim lucrativis, ut est ille, de quo loquimur, silentium regulariter arguit acceptance; Si enim ego tibi offeram centum, v. g. aureos, & tu id à me audiens, taces, approbare, & acceptare convinceris. Ita Sanchez l. 1. *mar. d. 6. n. 11.* alique, quibus adde multos citatos, & exceptos à Diana, p. 8. r. 6. ref. 106. *sub finem*.

Ratio est, quia in re sibi utili, & ex qua non nisi commodum sequitur, maximè valet ea juris regula: *Qui tacet consentire videtur*.

20. Dixi (regulariter) fateor enim posse non raro silentium oriri ex verecundia, ne offendatur, qui offert, si non acceptem, immò, aliquando ex re ipsa oblata oriri potest, ut silentium potius ostendat rem despici, quam acceptari, ut, quando tam est vilis vel parva, vel me indigna res promissa, ut silentium illud sit, potius exprobratio, quam approbatio: id quod certè ex adjunctis erit à prudenti viro colligendum.

§. VII. *Quisnam possit pro alio absente legitime acceptare, seu (quod idem nunc est, quod duo loquimur in conscientia) stipulari?*

1. Premittendum est primum, te iterum, iterumque esse moriendum de eo, quod nimis sæpe monuimus, nimirum nos loqui de contractibus lucrativis, id est, de promissione, vel donatione liberalibus, non in contractibus onerosis, cum x utraque parte inducatur gravamen, certum est, semper adesse debere consentum utriusque, puta promittentis, & promissarii, idque saltem per legitimum Procuratorem; tunc enim jam in Procuratore ipse Principalis consentit, ut habetur expressè in jure, *Instit. h. tit. §. p. Siquis alteri, & Doctoribus, ut Mol. d. 264. §. Quidò quando*. Merolla t. 1. d. 1. c. 2. n. 866. Sanchez l. 1. *mar. d. 7. num. 12.* Diana p. 8. r. 6. ref. 93. & seq. multos citans.

2. Premittendum secundò, valde pro re, de qua agimus, differre, si promissio, vel donatio facta absenti, dirigatur præsentis, & si dirigatur absenti. Nam, si adente, v. g. Petro, sic dicam: *Promitto, vel dono equum Petro*, atque hanc promissionem, seu donationem acceptet nomine Petri aliquis præsens, quicunque ille sit (etiamsi sit Tutor, vel Curator absents Petri, & etiamsi sit donatio in causam piam, ut contra aliquos docet Sanchez, l. 1. *num. 10.* & apud Dianam *loc. cit. ref. 96.*) nihil operabitur ejusmodi acceptatio, estque perinde, ac si nulla profus fuisset, unde eam ego, potero revocare ante absents acceptance. Ratio est, quia cum per hunc modum nulla ratione contrahatur cum præsentis, sed solum cum absente, hujus consensus est expectandus. Excipe, nisi ille præsens fuisset à Petro ad hanc acceptance facienda expressè deputatus: valeret enim tunc acceptatio, quia tunc Petrus dicitur præsens in alio, ut in simili dixi *num. 11.*

3. At verò si sic dicas: *Promitto, vel dono tibi Antonio præsentis equum pro Petro absente*; & Antonius acceptet, tunc enim verò rationabilis quæstio esse potest, an valeat præsentis acceptatio. De priorè igitur modo hic non est agendum, quia, ut dictum est, nihil ea operator, ut cum multis notat Merolla, l. 1. citans Bal. Isidorum Tuschum, Covarr. Sanchez, aliosque, agendum verò est de posteriore, ac decernendum, an illa acceptatio semper sit legitima, & consequenter valida.

4. Sed quæres antea, si verba, nec dirigantur ad absentem, nec ad præsentem, ut, si præsentem Antonio acceptante, dicas: *Promitto, me daturum equum Petro*, sensusne erit: *Promitto, me daturum ipsi Petro equum*, an: *Promitto Antonio præsentis, me daturum equum Petro absenti*?

Respondeo, Merolla, *loc. cit. num. 868.* citans Sanchez, aliosque, ait sensum esse hoc secundo modo, atque adeo aliquid operari ejusmodi acceptance posse, quia omnes leges clamant, in dubio cum sensum esse eligendum, qui favet actui, ut scilicet actus sit validus.

5. Verum, Bartolus, alique ab eodem Merolla citati, sed non recepti, censent, sensum esse primo modo, atque, adeo, nec valere, nec aliquid operari, quia ea verba, dum nullo modo diriguntur ad præsentem, promissio convincitur facta solum absenti.

6. Ego Bartolum sequor, tum propter rationem jam dictam, tum quia, si omnibus expensis, res adhuc versatur in dubio, cum dubitetur, an adfuerit vera, & obligatoria promissio, melior est conditio possidentis suam rem, suamque libertatem, à qua ipsum dimovere non potes, nisi certam probes affuisse acceptance, quam certam adesse in casu dubio, ostendere non vales, quia sic, casus dubius non esset.

7. Hac expedita quæstionculâ, ut regrediamur ad promissionem directâ à præsentis, sed factam absenti. Dico,

G g tunc

tum solum valere presentis acceptationem, quando presentis acceptare pro alio absente legitime potest. Ratio est manifesta, quia, si presentis non est legitimus promissarii Procurator, nihil nomine promissarii acquirere potest, ergo nihil operabitur, acceptando.

8. Sed ecce difficultas: Ecquando nam ita res se habebit, ut valeat acceptatio presentis pro absente? Profecto id cognoscemus, si hic asseramus, Primo, eos, qui certo possunt pro absente acceptare. Secundo, eos, qui certo non possunt. Tercio, eos, qui sub controversia.

Quisnam pro alio absente potest legitime acceptare Promissionem?

9. Præter illum, quem modò diximus, cui ab absente expresse mandatum est, ut loco sui promissionem acceptet. Primo, potest quilibet pro alio absente legitime, ac propterea valide acceptare, seu stipulari, quando, & quatenus sua interest ejusmodi acceptatio. Sed profecto id non tam acceptare pro alio, quam pro se.

10. Secundo, Pater pro Filio familias, hoc est, pro filio existente sub ejus potestate.

11. Tercio, filius familias pro Patre.

12. Quarto, Monachus pro Monasterio.

13. Quinto, servus, hoc est, Mancipium pro Domino, mancipium (Dixi) nam servus, qui est famulus, non ita, ut dicam mox n. 20.

14. Sexto, Tutor, ut etiam ex probabiliori sententia curator, quia succedunt loco Patris.

15. Septimo, Quilibet pro muliere ob favorem dotis, immò ob donationem propter Nuptias.

16. Octavo, Quilibet pro causa pia: pia enim causæ eundem favorem habent, quam habet dos. Lege Dian. p. 8. tr. 6. ref. 96.

17. Nonò, Personæ publicæ, hoc est, Magistratus, seu Iudex pro subditis; Prælati item, & Rectores pro propriis Ecclesiis, Universitas pro singulis ex Universitate, hi enim omnes possunt promissionem, vel donationem ipsi directam legitime acceptare pro suis, quamvis absentibus.

18. Ratio autem, quod prædicti acceptare pro aliis possunt, est, vel, quia propter bonum commune, ita statutum est à Legibus, vel, quia non raro dictæ acceptationes redundant in bonum presentis, atque adeo ad eam acceptationem presentis. Ejusmodi est, quando acceptat Pater pro Filio, Prælati pro Ecclesia, &c. Bonum enim filii, & Ecclesiæ est bonum Patris, & Prælati. Verum, hæc minutius tractata, atque probata lege apud Sanchez, lib. 1. matrim. d. 7. Meroll. tom. 1. d. 1. c. 2. n. 871. Tuschum tom. 7. lect. 5. concl. 703. aliisque, & quoad pias causas Tiraquell. de Priv. caus. pia. Privil. 114. quod autem ad personas publicas, & patrem, filiumque, lege Mantica, tom. 2. de tacit. convent. tit. 25. & 27. Molinam, aliisque citatos.

Quisnam legitime acceptare pro aliis certo non potest?

19. II omnes extranei, qui nullum titulum habent acceptandi pro aliis, quod invalidè acceptent, jam patet ex dictis. Illi igitur hic numerabuntur, in quibus quamvis appareat aliquis titulus sufficiens, tamen re vera non est.

20. Primo igitur famulus conductus ad serviendum (cum non ex toto, sed ex parte subdatur hero) pro ipso stipulari legitime nequit.

21. Secundo: Discipulus nequit pro Magistro, idque propter eandem rationem. Unde sequitur, quod nec, contra, Magister pro Discipulo.

22. Tercio, nec filius emancipatus, id est, existens sui juris pro Patre, quia quando est emancipatus, non est sub Patris potestate.

23. Quarto, nec idem filius, sive emancipatus, sive non, acceptare potest pro Matre, quia filius non est sub potestate Matris, sed solum Patris.

24. Quintò, nec Frater pro Fratre.

25. Adverte, aliquando per accidentem posse fieri stipulari pro dictis. Quando scilicet, ut supra dictum est, interest stipulatio. Nam propterea, in materia Familiae Emphyteuticæ, in usufructu, si quando prædicta stipulatio se aliquod utile proximè spectaturum potestum accepit pro illis.

Pro quibuscumque contraxerit, posse pro aliis stipulari

26. Controvertitur primò: An Pater possit pro filio emancipato, id est, pro filio sui juris acceptare promissionem, & donationes ad ipsum directas, sed absentem Sanchez dicta d. 7. num. 7. cum Bartolo & Baldo. Negat Merolla loc. cit. num. 880. asserens, & ipse Baldo pro se, aliisque, Vtrumque probabile.

27. Controvertitur secundo: An Mater possit pro filio stipulari? Affirmat Sanchez loc. cit. num. 7. cum aliis, qui sunt emancipati. Negat, tum pro emancipatis, tum pro non emancipatis, Merolla l. c. n. 881. qui tamen materem id, quod ego modò universatim dixi, posse scilicet materem pro filiis stipulari in materia Fidei, vel Emphyteuticæ, quia tunc stipulatio proximè futura est utilis, ratione utilis domini. Vtrique sententia probabilis quomodo est.

28. Controvertitur tertio: An Notarius, qui videtur esse persona publica possit stipulari, seu acceptare promissiones, & donationes ad ipsum directas, sed absentem factas (ut semper hic loquimur) Negat Sanchez dicta matr. d. 7. n. 1. cum multis, quos ipse citat, quos videt Castropal. de Inst. com. d. 2. p. 5. n. 6 & 9. Affirmat communiter Merolla l. c. n. 886. & Diana p. 8. tr. 6. ref. 96. Vtrumque simili modo probabile. Sequere id, quod ubi magis arripserit. Mihi quidem arripit sententia Sanchez, quia Notarius non est persona publica potestatem aliquam habens in Civem, sed solum est publica, quia fidem publicam facit de his, quæ ipse, ut Notarius testitur.

29. Illud fateor cum ipsè Sanchez, & Castropal. ibid. Notarium stipulari posse pro absentibus, quod ea, quæ ad judicia pertinent, & à Partibus assertorum, idcirco conceditur à legibus propter bonum publicum quod per judicia dirigitur, non verò conceditur extra iudicium. Hæc, quæ pro foro conscientie, sunt pro utraque parte probabilis, satis sit, sic summam retulisse.

Ex data doctrina de Acceptatione quatuor casus deciduntur.

PRIMVS CASVS.

An semper duplici Promissione correspondere debeat duplex Acceptatio?

30. Titius promittit, vel donat, non sequuta traditione Caio prædium, hac conditione, ut post eundem Caio mortem prædium transeat ad Scium. Acceptavit Caio, sed postea Titius vult revocare illam conditionem in favorem Scii factam, idque antequam ipse Scius acceptaret, licitène potest, & validè?

31. Respondent aliqui apud Sanchez lib. 1. conf. 5. d. 1. non posse, sed posse, idem Sanchez & Delug. d. 23. de Inst. n. 85. meritò responder. Ratio est, quia in hoc casu duplex involvitur donatio; Altera facta Caio, quæ iam est irrevocabilis, quia acceptata; Altera facta Scio, quæ, quia nondum est acceptata, revocabilis est. Idcirco dic, quomodo ejusmodi donatio iurata fuerit, quod constat ex dictis à nobis supra, c. 7. s. 1. n. 8. quodque etiam docet ibid. Delugo, licet neget ibidem Sanchez.

32. Quod dictum est de promissione, seu donatione, ante rei promissæ traditionem, potest etiam queri de donatione, sequuta iam traditione, an scilicet si donator, & tradidisti equum, v. g. Petro, ea conditione, ut post annum tradat illum Paulo, an inquam, antequam Paulus acceptet, possit eam donationem Paulo factam revocare? Et respondeo, posse, propter eandem rationem. Lege Dianam p. 8. tr. 6. ref. 103.

SECV

SECUNDVS CASVS.

Ubi Acceptatio unius proste alteri, ratione connexionis rei promissa.

33. Promitto Petro absenti centum aureos, in quibus decem promitto tibi presenti. Inquiri, si tu, qui nullum mandatum habes à Petro, ut pro illo acceptes, acceptes tuos decem: Inquiri, inquam, an possim revocare promissionem factam Petro, quoad nonaginta, quos nondum ipse Petrus acceptavit.

34. Respondeo, posse propter eandem rationem in primo casu dictam. Excipe, nisi tua interfit, ut Petrus illa centum habeat, ut si, v.g. eo mortuo, ad te, tuusque hæredes ea pertineant, vel, si tu ea decem habere non possis, nisi habeat Petrus sua nonaginta, quod certe evenire posset, si promissio esset, v.g. ut ex vase argenteo promisso, & vendito à Petro, tua decem deberet tibi Petrus numerare.

TERTIVS CASVS.

Res pluribus promissa, & ab iisdem acceptata cui attribueda?

35. Si eandem rem promittas successivè duobus, tribus, &c. iis legitimè acceptantibus, primo tradere eam debes, etiam si juraveris tradere secundo, vel tertio. Ratio est, quia promissio facta secundo, vel tertio illicita est, posita promissione facta primo. Iuramentum autem non est vinculum iniquitatis.

36. Non sic, si cum promiseris primo rem, illamque ipsi non tradideris, promittas deinde secundo, & huic eam tradideris; quamvis enim tu sic peccaveris (ad quod obligaris, dicam infra, cap. 2. de donat. §. 2. n. 1. tamen, quia per traditionem secundus rem facit suam, ipsius erit, & hinc multum valet illud vulgatum Iuris: *Multa facta tenent, quamvis fieri prohibeantur*. Ita Azor. p. 3. l. 1. c. 4. de Promissione, §. 17. & ita nos lib. 3. in dec. c. 3. §. 5. a. n. 7.

QUARTVS CASVS.

Pereunte re promissa, quid debeatur Promissario, qui jam accepit?

37. Id explicabitur planius, si sic figures hunc casum: Titius promittit Caio unam ovem ex duabus, vel tribus, vel centum, quas habet, ad electionem ejusdem Caii. Ante electionem verò altera ex illis duabus, vel plures ex illis centum periit sine Titii culpa. Inquiri an nihilominus Titius debeat dare ovem unam ex illis, quæ superstitiores sunt?

38. Respondeo: Rectè inquiris (ante electionem) nam post electionem à Caio factam certum est, te ad nihil obligari, quia tunc, sicuti post electionem illa electa Caio debetur, ita ipsi pereat, congruum est. Rectè item notasti (sine Titii culpa) Si enim ejus culpa periit, seu periit, debet sane superstitem dare, vel omnibus pereuntibus, pretio compensare: id enim damnicatio ex culpa Titii facta, omnino exposcit. In casu ergo proposito distinguendum est: Si enim una, vel aliquot periit sine culpa Titii, idque ante electionem Caii (remanente altera, vel aliis) obligatur Titius ex iis, quæ superstitiores vivunt, tradere, etiam si illa, seu illæ, quæ periit, fuerint viliores. Ita Bonacina, d. 3. de contr. g. 12. p. 2. num. 17. quia nondum facta electione, illæ oves Titio periit, & Caius non est defraudandus de re ipsi promissa. Azor. apud Bonac. cit. tamen benignius loquitur, dicens, sufficere, si Titius donet valorem ejus, quæ sine ipsius culpa periit, & pari modo Turrianus apud eundem Bonac. dicens, promissorem satisfacere, tradendo similem illi quæ periit, dam similem invenire potest. Si verò omnes, periit, tunc ad nihil debet obligari Titius, nec mirum, quia sine culpa deficit materia tota promissionis.

Pars III.

39. Quando autem tum hic, tum alibi dicimus, adesse obligationem, semper, intellige de illa obligatione, quam ejusmodi promissio inducit, sive ex fidelitate, sive ex justitia, sive ex alio capite, juxta superius explicata.

CAPVT VIII.

De illis ultimis verbis Descriptionis Promissionis (in cujus utilitatem res faciendæ est)

Hæc satis sunt explicata per occasionem in superioribus, & præsertim cap. 7. §. 4.

CAPVT IX.

Quando, & quatenus Obligatio Promissionis, vel est nulla, vel cessat.

1. Absoluta tractatione de natura, & conditionibus promissionis, ea duo breviter sunt judicanda, quæ in præsentis titulo proponuntur.

2. Quoad prius ergo, Regula generalis est Promissionem, & donationem ante traditionem, esse invalidam nullamque parere obligationem, quando, vel primò est de re illicita, vel secundò, quando ex ejus observatione daretur occasio peccandi, vel tertio, quando ex jure positivo, irrita, quæ partim dicta sunt, cum egimus de juramento, lib. 3. in Decalog. cap. 7. §. 2. & voto ibidem, cap. 13. a. n. 9. partim ex dictis, & dicendis facile colligi possunt.

3. Quoad posterius: Promissionis obligatio orta, sive ex fidelitate, sive ex justitia, modo superius explicata, cessat. Primò, ut ibidem dictum est, remissione promissarii. Secundò, ut etiam dictum est ibid. cessatione finis principalis promittendi. Tertio, (quod, & ibid. explicui) quando res promissa mutata est sine promittentis culpa, in illicitam, in impossibilem, in inutilem. Quarto, quando circumstantiæ sunt notabiliter mutatae, quod & lib. 3. in Decalog. cap. 3. §. 4. num. 5. etiam explicuimus. Quintò, denique ex illis iisdem causis, ob quas revocari potest donatio, de qua re dicam in tractat. de donat. cap. 6.

4. Interdum autem obligationem solum suspendi, quia fortè solum ad tempus res à promissario remissa sit, vel mutata, res est per se manifesta. Ut etiam manifestum est, solam partem esse tradendam, quando res promissa est dividua, cessare autem obligationem tradendi partem ineptam, ut etiam superius indicatum est, & dicemus iterum, cum de don.

5. Ex dictis cum Onate, l. 2. tr. 9. d. 29. sect. 11. a. n. 155. Mol. d. 272. n. 2. Less. l. 2. c. 18. d. 10. Diana p. 8. tr. 6. ref. 105. aliisque, colligi sequentia. Primò, si promissisti gladium ei, qui deinde in amentiam incidit, non obligaris, imò, nec debes promissum servare, quia illi gladius esset damni causa. Adverto, si tibi usui esse debet gladius, ejus pretium Domino deberi, & semper teneri te, vel servare illum ei in aliud tempus, vel tradere illum, vel jus pretium Curatori: nam per amentiam is non amisit jus ad rem sibi promissam.

6. Secundò, si duo sibi invicem aliquid promiserunt, sive colligatæ fuissent promissiones in unum contractum, qui solet esse hic: *Hoc tibi liberaliter promitto, & in pari modo hoc mihi liberaliter promittis*, sive non colligatæ, sic: *Ego promitto hoc tibi, sed tu sine memoria istius meam promissionem aliquid promittis*. Si inquam, sic mutuo sibi, duo promiserint, si alter non impleat, nec tenetur alter, quia hæc justa causa censetur, ut te revocante tuam promissionem, ego meam revocem: sic Mol. l. c. n. 10. quicquid dicat Navarr. in summ. c. 18. n. 7.

G g 2

7. Tertio,

7. Tertiò, is, qui tempore promissionis erat amicus, si ante traditionem superveniat inimicitia mortalis, non tenetur ad promissionem, quia in promissione semper imbibitur, ex mente interpretativa promittentis, earentia tantæ inimicitiae, esto peccet aliquando peccato scandalali, &c.

8. Quartò, sponsi non tenentur ad servandam promissionem sponsalium, si res notabiliter mutentur. Sed de hac re nos fusi in tract. de sponsal. diximus lib. 8. matrim. tract. 3. cap. 5. §. 8.

9. Quintò: Is, qui alteri promisit pecuniam, etiam in elemosinam, & deinde incidit in egestatem, non obligatur illam elargiri, &c.

10. Sextò: Si alicuius filius est in gravem infirmitatem lapsus, unde assistentia Patris indigeat, non tenetur Pater ad exequendas illas operas alteri fortè liberaliter promissas, quæ ejusmodi assistentiam impediunt; siquidem intendere filio, est præceptum, promissio illa fuit voluntaria; Immo tanta posset esse ægrotantis necessitas, ut etiam alias obligationes ex præcepto superare posset, ut suo loco in tract. de legibus explicari solet.



TRACTATUS X.

DE

DONATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Donatio?

§. I. Explicatur natura Donationis.



VAMVIO, ut superius diximus, Promissio acceptata multis assimiletur, conveniatque cum Donatione in futurum item acceptata, sed ante rei traditionem: tamen differunt etiam permixtè in multis. Nam promissio intendit dare, & solum dat jus ad rem promissam, illud tamen ex se esse leve, quantum est ex virtute fidelitatis, diximus in tractatu de Promissione. At donatio etiam in futurum intendit dare, & dat rem ipsam, transferitque dominium in donatarium pro tempore præfixo.

Aliqui autem dicunt, per donationem, re nondum tradita, perfectè transferri dominium rei donatæ in donatarium: Solum enim remanet obligatio tradendi rem, quam traditionem non vocant donationem, sed executionem factæ donationis.

Alii verò dicunt, per dictam donationem, re nondum tradita, transferri dominium initiativè, cum autem res traditur, transferri perfectè, & tunc perfectam vocari donationem. Vt ex his modis loquaris, perfectò ad praxim parum refert, vel nihil.

2. Hinc quando Bonacina de contract. d. 3. quest. 12. punct. 1. n. 2. alique docent, si dicam: *Dono tibi librum, quem habeo domi, unde nunc non trado*, non transferri dominium libri in te, quia, inquit, ita jus positivum disponit; transferri autem, si librum tibi trado, quando inquam, sic docent, intelligitur, si intelligere debent non transferri cum effectu, seu executione, vel non transferri, nisi initiativè, & non perfectè, modo jam explicato.

3. Jam verò donatio definitur communiter solet, esse, *datio liberalis*, si enim quid detur ex obligatione, seu debito iustitiæ, jam donatio non erit, sed vel venditio, vel restitutio, vel quid simile. At (ut verum fatear) hæc donationis descriptio potius est nominis explicatio, quam d. definitio, qui enim, vel tenuem latinitatibus

nitorem attigit, jam cognoscit, donare, nihil aliud esse nisi liberaliter dare. Et nihilominus nobis ad præsentem intentionem artificiosè definitionem non est opus. Leg. illam apud Onaren, tom. 2. de contract. §. 1. dub. 30. sect. 1.

§. II. Quantum obliget Donatio?

UT id distinctius cognoscatur (& faceret etiam majorem explicationem præcedentes doctrinae, quatuor diligenter sunt distinguenda.

1. Primò enim, sic potes hæc animo dicere: *Promitto tibi librum, ex quo habeo donare.*

2. Secundò, sic: *Donabo tibi librum.*

3. Tertiò: *Dono tibi librum, quem domi habeo.*

4. Quartò: *Dono tibi librum, & nunc illum trado, illamque re ipsa tu recipis.*

5. His distinctis: Prima ex his Promissio simplex est.

6. Secunda est item simplex Promissio, idem cum ea dicere: *Donabo tibi librum*, ac promitto, tibi librum donare: id quod, cum nihil aliud sit, nisi Donatio in futurum, rectè ab aliquibus dicitur esse promissio donandi.

7. Tertia est donatio transferens dominium rei donatæ in donatarium, siue, ut aliqui loquebantur, *peractum*. 2. sine ultimo effectu, seu executione requiritur ad hujusmodi donationem, siue, ut aliqui ibid. loquebantur, initiativè.

Quoniam verò in hac donatione nondum addi debet traditio, ideo à Iurisperitis hæc vocatur donatio, quæ non incipit à traditione, ut etiam appellatur promissio rei donatæ: donatur enim per illam res, & simul tacite promittitur traditio.

9. Quarta est donatio perfectissima transferens dominium simul, & possessionem, vocaturque ab illis Iurisperitis donatio, quæ incipit à traditione, quæ certe nullam promissionem in se, ne tacite quidem includit, cum omnia sint jam exhibita, translatio nimirum donarii, & possessionis traditio in donatarium.

10. Ex his ergo quatuor dispositionibus: Prima, si secunda, si sint acceptatæ, quæ ratione pariant obligationem, siue ex fidelitate siue ex iustitia, dictum est superius, cum de promissione disputatum est.

11. Tertia si sit item acceptata, parit semper obligationem sub mortali in materia gravi, nec poterit donator illam revocare sine iniustitia, obligaturque rei sic donatæ possessionem, vel statim, vel certè præfixo tempore, si præfixum fortè aliquod fuit, tradere. Ratio est manifestissima, quia per hanc donationem translatum est dominium in donatarium, siue perfectè, siue initiativè, juxta vana dicendi modos jam explicatos. Ergo donatio sua re tradi semper debet ex iustitia, præscindendo à causis propter quas ejusmodi donatio revocari potest, de quibus inferius dicendum erit.

12. Quarta denique semper, pari, imò fortiori modo, parit obligationem sub mortali, non molestandi nequam donatarium, res enim donata non solum est in Dominio, sed etiam in legitima possessione donatarii, præscindendo item à causis, ob quas possit revocari, de quibus inferius.

CAPVT II.

De Divisionibus Donationum.

§. I. Tres principales Divisiones Donationum.

1. **Prima Divisio.** Alia est donatio merè gratuita, quæ scilicet, nulla præcedente obligatione, & prorsus sine ullis meritis donatarii, exhibetur à donatore. Alia remuneratoria, quæ scilicet fit ex aliquo obligatione, non quidem iustitiæ, sed gratitudinis quæ virtus tendit ad remuneranda Beneficia juxta communem naturam.